



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 60. An & qualiter solvantur sponsalia per sponsalia de futuro subsecuta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

celibem vitam ducere: non intelligitur seu imbibitur in contractu sponsalium ex natura rei; quia aliàs in qualibet promissione facta homini intelligeretur excepta conditio de meliore bono, quod, ut ait Castrop. absurdum est. Unde etiam quod dicitur *c. per venit. de jurejur.* promissum non censetur infringere, qui in melius commutat, intelligendum est de promissionibus soli Deo factis; non verò in iis, quæ fiunt in favorem hominum, quibus non semper placent meliora, & quorum violatio derogat juri quæsito alterius. Barbof. *in cit. c. 2.* Neque ea subintelligitur ex jure positivo; cum solus religiosus status ob singularem ejus perfectionem inveniat exceptus, quæ exceptio ad alios casus non est extendenda; cum hæc extensio cedat in præjudicium juris acquisiti alteri. Neque etiam ex mutuo consensu contrahentium, cum hi nihil minus quam jus servandi castitatem sibi reservare intendant. Ac denique votum castitatis non judicari sufficiens ad solvenda sponsalia patet ex eo, quod sponsus renuens implere sponsalia compellitur à Judice, tam etsi assermet, se astrinxisse voto castitatis, nisi religionem ingrediatur, ut tenet ipse Azor. *l. c. Palud. in 4. d. 27. q. 1. cas. 5.* Sylv. *v. sponsalia. q. 1.* Ad illud autem, quod obmovent adversarii, nimirum dum duo vincula incompatibilia concurrunt, fortius prævalere; vinculum verò castitatis esse fortius vinculo sponsalium, facillè respondent, vinculum illud castitatis respectu ad sponsum non esse validum; esse vero validum quò ad alios, adeoque non impedire sponsalia contracta, sed contrahenda. Porro cum talis vovens juxta hos AA. teneatur contrahere matrimonium, & reddere debitum, non tamen possit illud petere, expedit, cum petere ab Episcopo aliisve privilegium habentibus dispensationem, quæ facillè concedi solet ob periculum incontinentiæ. Laym. Castrop. *ll. c. 1.* De cæterois, qui antè vel post sponsalia aut etiam matrimonium ratum vovit castitatem, non tenentur ingredi religionem vel ordinem sacrum suscipere, etsi hæc sit via tutior servandi illud votum, ut tenent Vega. Nav. Palud. Sylv. & alii apud Castrop. *n. 8.* cum non teneatur uti medio tam arduo & difficili ad voti observationem, ut cum communi tradunt Sanch. *d. 46. n. 13.* Gutt. *c. 26. n. 1.* Laym. *l. c. n. 9.* Lessl. *2. c. 41. n. 52.* Castrop. *n. 9.* Quod attinet ad *c. veniens. qui clerici vel voventes*; in quo se fundant utriusque partis AA. ubi quædam mulier sponsalia contraxit cum alio absente, cujus favitiâ perterrita ex suavis alicujus Eremitæ emisit votum castitatis, quo emissio & viro illo ad alias nuptias transiente, ipsa quoque nubere alteri volebat ob periculum incontinentiæ; Papa Alexand. III. desuper consultus respondit: *Hos itaque attendentes tutius esse, ut prefata mulier post fidem & votum simpliciter oblarum matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat, mandamus, quatenus, si plus non processit, sibi de fidei mentitâ & voto violato satisfactionem indicas, & ei, cui vult nubere, in Domino licentiam concedere non postponas.* Ex quo, ut censent AA. primæ sententiæ, patet, votum illud validum fuisse, aliàs dispensatione non eguisset; quòd autem videantur & sponsalia valuisse, dum fœminæ ob violatam fidem imponitur pœnitentia, id Azor. & Pont. dicunt processisse quò ad forum externum, in quo nondum de voto constabat; eo verò probato concessam fuisse dispensationem in voto. E contra AA. alii, *cit. cap. suæ* potius sententiæ favere putant; eò quòd Papa præcipiat illi fœminæ injungi pœnitentiam, & pro violato voto (per voluntatem nimirum, quam habebat violandi illud nubendo alteri, ut *Glos. ibi.*) & pro fide sponso mentita; adeoque constiterit Papa votum,

& vi illius violatio sponsalium, ac consequenter non censet Papa ex illo voto non dissolvi sponsalia; aliàs illo facto non esset fides sponsalium violata.

Quæst. 60. An & qualiter solvantur sponsalia per sponsalia de futuro subsequuta.

1. Resp. primò: Per sponsalia posteriora absque juramento vel copula non solvantur priora; cum illa posteriora sint nulla, utpote de re illicita & alteri debita. Ex parte tamen repulsi dissolvuntur; tum quia contrahens secunda prioribus renuntiare censetur; tum quia alteri sufficientem caulam resiliendi præbet; Castrop. *p. 22. n. 1.* cum communi. Proceditque id ipsum, etiam si sponsalia posteriora sint juramento firmata; quia adhuc sunt in valida, utpote de re iniqua cedente in præjudicium tertii; neque juramentum debet esse vinculum iniquitatis, alitrigens ad id, quòd licitè fieri non potest *c. quamvis. pactum. de pactis n. 6.* ubi: quòd juramentum pacto appositum servandum est, cum non redundat in alterius detrimentum; & *c. cum contingat. de jurejur.* ubi, quòd servari debeant hujusmodi juramenta, cum in alterius præjudicium non redundat: ita tenent cum communi Pirh. *n. 56.* Castrop. *n. 2.* Sanch. *l. 1. d. 50. n. 2.* Gutt. *c. 28. num. 1.* Porro cessantibus aliunde prioribus sponsalibus V. G. quia sponsa moritur, ingreditur religionem, posteriora sponsalia contracta tempore priorum sponsalium valere; & vi eorum obligari quem ad contrahendum cum secunda; tenent Rebell. *l. 4. q. 8. f. 6. concl. 4.* Covar. *in 4. decret. part. 1. c. 4. §. 1. n. 10.* contrarium, sive nullam esse obligationem contrahendi melius tenent Sanch. *n. 6.* Cóninck. *d. 23. du. 4. n. 29.* Castrop. *n. 4.* eò quòd contrahens illa sponsalia secunda intendit se obligare absolutè, & non sub conditione (si priora sponsalia solvantur) ergo cum sic contracta sponsalia durante valore priorum sponsalium non potuerunt inducere obligationem ullam, neque tempore solutionis priorum sponsalium vim ullam habent obligandi.

2. Resp. Secundo: Dum secundis sponsalibus accessit copula muliere ignara priorum sponsalium, & permittente copulam sub spe & promissione matrimonii, priora sponsalia nullam specialem qualitatem adjunctam habentia solvantur ex parte utriusque; Castrop. *p. 22. n. 6.* citatis Major. *in 4. d. 27. q. 5.* Rebell. *l. 4. de oblig. just. q. 8. f. 8. n. 56.* Cón. *l. c. concl. 4. n. 34.* Pont. *l. c. c. 14. n. 4.* contra Sotum. *in 4. d. 27. q. 2. a. 4. du. 3.* Henriq. *l. 1. 1. de mar. c. 13. n. 3.* Sanch. *l. 1. d. 49. n. 5.* Gutt. *c. 27. n. 7.* e quibus tamen Gutt. & Henriq. sic limitant suam sententiam, ut, si secunda fœmina grave damnum pateretur, si sponsalia cum ea contracta non implerentur; prima verò fœmina nullum vel leve, hæc teneretur obligationem suam remittere, ut grave damnum alterius evitetur, in quo casu Judex possit compellere contrahentem, ut cum secunda contrahat matrimonium. Ratio responsionis est, quòd obligatio contrahendi matrimonium cum secunda sit ex contractu oneroso ob usum corporis sub ea conditione permissum; priorum verò sponsalium obligatio sit omnino gratuita & liberalis; obligatio autem liberalis, utpote de concedendo lucro, cedere debeat obligationi onerosæ, quæ est de vitando damno, cui semper favendum. Quemadmodum si equum liberaliter promissum Petro vendas Joanni pretio accepto & consumpto, equum debes tradere Joanni. Arg. *l. quoties. c. de rei vindic.* ubi: *Res vendita auri, & alteri vendita & tradita, huic debetur;* debet itaque contrahens illa sponsalia secunda fœminæ illi, quæ aliã viã non vult sibi satisfieri, se tradere in conjugium. Unde licet sponsa prior privetur jure sibi quæsito,

id

id ei sustinendum est, ne secunda sponsa gravius lædatur. Porro quæstio, num per posteriora sponsalia subsecutâ copulâ solvantur prima tanquam per verum matrimonium consummatum in iis partibus, ubi Tridentinum non est receptum; non caret difficultate; in qua certa est affirmativa; si sponsi hac ratione, nimirum habendo copulam contrahere voluerint matrimonium. Dum verò de intentione non aliter constat quàm ex eo, quòd secunda sponsalia contraxerunt, & postmodum copulam habuerunt, longè verius putat Castrop. n. 8. præsumi debere, copulam illam habitam affectu conjugali, & antecedenter ad eam explicuisse suos consensus de præsentè; cum præsumptio delicti, quòd ad fieri potest, sit omnino vitanda. Unde etiam Ecclesia præsumit sponso de futuro se cognoscendo contractum matrimonii copulâ præmississe, uti docent Sanch. l. c. n. 1. Henriq. n. 3. Pont. e. 14. in fine.

Quæst. 61. An & qualiter priora sponsalia solvantur per secunda de præsentè, sive per subsequens cum alia matrimonium.

1. Resp. Primo: Indubitatum est solvi illa ex parte illius, quæ non contraxit matrimonium; quia huic præbetur iustissima causa resiliendi, etiam absque eo, quòd contrahens remitteret ei obligationem. Unde procedit id ipsum, etiam si invalidè contraxisset matrimonium. Sanch. l. 1. d. 42. n. 1. Gutt. c. 27. n. 2. Coninck. d. 23. d. 4. concl. 1. n. 28. Castrop. p. 21. n. 1.

2. Resp. Secundò: Indubitatum quoque est contrahentem matrimonium invalidè non liberari obligatione sua, sponsâ primâ nolente eam remittere; Sanch. Gutt. ll. cit. Castrop. n. 2. quia non præstat impedimentum (intelligi implendi prima sponsalia) quòd de jure non sortitur effectum; *reg. non præstat. de reg. jur. in 6.*

3. Resp. Tertio: Matrimonio cum secunda contracto, dissoluto dein per ejusdem mortem vel professionem religiosam non esse priora sponsalia soluta, quòd ad eum, qui matrimonium illud contraxerat; sed teneri eum priore sponsâ volente eam ducere, docet Castrop. n. 4. cum Pont. l. 12. c. 13. n. 4. Vega. l. 6. sum. cas. 125. Coninck. l. c. concl. 3. n. 32. Ledesma. & alii, contra Sanch. l. c. n. 3. Gutt. l. c. n. 3. Laym. l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. in fine. Rodriq. vir. 1. sum. c. 245. n. 8. Pirh. h. t. n. 49. eò quòd matrimonium sublequens, eo durante, sponsalium priorum executionem impediatur, obligationem tamen illorum non extinguat. Non ex jure positivo; quia textus *c. sicut. & c. si inter. h. t.* adducti ab adversariis solum decidunt, talem contrahentem matrimonium cum secunda debere manere cum secunda; nihil verò decidunt, num per hoc solvatur ab obligatione priorum sponsalium, ita ut soluto illo matrimonio, non teneatur ducere primam. Non jure naturali; cum priorum illorum sponsalium obligatio optimè consistere possit cum matrimonio cum alia contracto, suspensa veluti, & eo soluto reviviscens; & hoc quidem convenientissimè, ut Castrop. ne matrimonium malitiosè contrahens commodum sine necessitate ex sua industria reportet, & pars relicta damnum & juris sibi debiti privationem. Confirmantur hæc exemplis. Primò religionem vovens, si contrahat matrimonium, hoc soluto, tenetur intrare religionem; quia obligatio voti religionis licet suspensa fuerit tempore matrimonii, non tamen fuit extincta; quia hæc extinctio non fuit necessaria. Secundò si Petro promittas vel vendas

equum, & hæc promissione vel venditione non obstante Joanni vendas & tradas equum, equus sit Joannis, sed si Joannes tibi redderet equum, teneris illum equum tradere Petro, ac ita priorem venditionem exequi; quia id facere potes. Neque opponas textum l. 5. de regular. in 6. ubi votum profitendi in strictiore extinguitur per professionem in laxiore; nam id provenit ex speciali juris positivi dispositione nempe *cit. cap.* ubi id tribuitur solennitati votorum seu professionis in religione laxiore, ut pax monasteriorum & profitentium servetur; disparitas etiam est in eo, quòd professio sit vinculum perpetuum, quòd sola morte profitentis extingui potest; matrimonium verò solvi potest morte vel professione alterius contrahentis, quòd soluto aptus est priorum sponsalium obligationem implere. Item quòd in casu *cit. cap.* item sit creditor, nempe Deus, cui præstaretur res præstantior professione in religione laxiore, quàm quòd præstitum per votum ingrediendi religionem strictiorem, ita Castrop. n. 5.

Quæst. 62. An & qualiter ex causa fornicationis, osculorum & tactuum impudicorum solvantur sponsalia.

1. Resp. ad primum primò: Ex fornicatione solvuntur sponsalia ex parte innocentis (non verò ex parte nocentis; cum is ex iniquitate sua commodum reportare, & innocentem jure suo privare non debeat) si enim per eam solvatur ipsum conjugium, quòd ad torum seu cohabitationem, multò magis obligatio remota ad talem cohabitationem. Castrop. p. 25. n. 1. Pirh. n. 60. cum communi juxta *c. quemadmodum. de jurejur.* Procedit id ipsum, etiam si sponsalia sint jurata; cum juramentum sequatur naturam actûs, cui apponitur. Sanch. l. 1. d. 55. Gutt. c. 31. n. 1. Laym. l. c. an. 10. Castrop. Pirh. ll. cit. Item, sive sponsus sive sponsa fornicetur; cum uterque sponsorum vi sponsalium sit æquè obligatus corpus suum nemine tradere ad usum, sed servare comperti. Pirh. Gutt. Castrop. Laym. ll. cit. Sanch. d. 55. n. 4. Menoch. de arb. cas. 455. n. 5. Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. sub n. 2.

2. Resp. ad primum secundò: Sponsalia quoque dissolvi ob copulam violentam sponsæ, seu sponsam violenter oppressam; non quidem quia sponsa violavit fidem, aut suspectam se reddidit de violanda fide stante matrimonio; sed quia reddita notabiliter vilior, & probrosus sit ducere talem, exponaturque sponsus periculo alendi alienam prolem. Unde *c. raptor. 27. q. 2.* permittitur sponso sponsam sine culpa raptam ducere vel repudiare; ita cum communiore docent Sanch. l. 1. d. 55. n. 7. Laym. n. 10. Covar. n. 5. Sylv. v. Sponsal. n. 10. Cas. 7. Castrop. n. 5. contra Fabien. & Armill. v. Sponsalia. De sponso verò vim patiente, seu per vim adacto (si fortè id fieri potest) contrarium, nempe sponsam non posse propterea resilire à sponsalibus, sentiunt Castrop. n. 6. Sanch. l. c. n. 8. Pont. c. 17. num. 3. & c. contra Gutt. c. 31. de mat. n. 3. & Gl. in c. sic quoque. 27. q. 2. in fine; eò quòd per hoc nulla infamia accrescat viro. Putat tamen Castrop. posse sponsam solvere sponsalia ob sponsum Sodomiticè cognitum; eò quòd negari nequeat ob tale stuprum viliozem redditum, & fœminæ probrosus talem ducere.

3. Resp. ad primum tertio: utroque sponso fornicante, sponsum resilire posse, non sponsam, tenent Laym. n. 11. Sanch. n. 9. Gutt. n. 4. Pont. c. 17. n. 3. cum communiore, eò quòd licet ob fidei jurisque promissi violationem utriusque sponsi fornicatio sit æqualis, ob notam tamen & infamiam sit

lit